

incurrere videntur, tanquam de aliorum salute minus, quam de experimentorum suorum persuasa probitate solliciti. At inanem esse reprehensionis culpam omnem facile perspiciet is, qui cogitarint, nullatenus nouam esse materiam, quam tentant. Ab omni antiquitate praestantibus medicis eam innotuisse. Quis Stibium vel Calcathum ignoret à Galeno & Dioscoride quotidianis experimentis frequentatum inclaruisse? Quod si iam usu diuersitas inoleuisse putari debet, num ea Chymicorum integritati accepta feratur? Non nisi materiam tractat remediorum Chymicus, suumque splendidum officium, cum Pharmacopœo commune habet. Usus, curantis est Medici: qui si praeter rationem successerit, utentis, non praeparantis inscitia, vel temeritas accusanda est. Ut nihil se heic obijciat, quod iure Chymiam, ab antiquis praeparandorum remediorum legibus diuersam, arguere possit.

Sed video, sinistrè, quæ dico, ab ingeniosis accipi posse. Si enim Medici administer est, quod innuo, Chymista, non nisi praescripta tractabit, eoque sine,

*An etiam  
internè v=*  
*surpârint*  
*metallica*  
*antiqui.*

B 3 quo